

94 *PHARMACOPOEA MATRITENSIS.*

Calefacit, exiccat, attenuat, & alexipharmaca est, & in colica flatulenta, debilitate stomachi, intemperie frigida uteri, & similibus mirificè prodest.

ZIBETHUM, ZIBETHA, ZIPETIUM substantia est pinguis, & unctuosa (instar mellis, seu butyri) apparens, colore ex albo-flavescenti, odore fragranti, & penetrantissimo prædita. Animalia, ex quibus ZIBETHUM extrahitur vulgò *GATOS DE ALGALIA*, five CATI ZIBETHICI vocantur: & in India Orientali, & Occidentali nascuntur; substantia ista in peculiaribus folliculis, seu cavitatibus (inter podicem & genitalia) sitis invenitur, præsertim in earum partium glandulis, in quibus observatum est generari.

Eligatur ZIBETHUM, recens, bonæ consistentiæ; coloris albi, seu flavi; odoris fortissimi aromatici.

Anodinum, resolutivum, & corroborans est, sed in Medicina (propter nimiam suam fragrantiam) parvi, vel nihil æstimatur.

CAPUT IV.

DE SUCCEDANEIS.

INter tot, & tam multiplicia medicamenta, quamvis eorum major pars apud nos extet; sunt tamen aliqua priscis sæculis cognita, quorum notitia, tractu temporis abolevit: alia, quæ ad nos rarò advehuntur; quædam ob regionum distantiam ad nostras officinas, non nisi evanida, ac velut obsoleta proveniunt; non pauca in pluribus nostræ Hispaniæ Villis commodè haberi nequeunt: de multis denique an legitima, vel supposititia sint à Peritis ambigitur. Ne igitur ægrotantes his medicamentis in schedulis satis obviis, vel saltè ipsorum virtutibus cum suæ salutis jactura fraudentur, in eorum defectu, alia simplicia temperamento, aut facultate illis simillima substituere

coacti fumus, quæ substituta Latini rectè SUCCEDANEA,
 QUID PRO QUO perperam appellant.

SUBROGENTUR ITAQUE.

A

Pro Acacia vera. *Succus Hypocistidos, itèmq̃ue*
Prunorum sylvestrium.

—Acantho, seu Branca
 ursina. *Malva.*
 —Ammi. *Anisum.*
 —Amomo. *Cardamomum minus.*
 —Angelica. *Carlina, vel Meù.*
 —Aristolochia rotunda. *Tenuis, seu longa.*
 —Aspalatho. *Lignum Aloes usuale, seu San-*
talum Citrinum.

C

—Calamo aromatico. *Acorus verus.*
 —Carpobalsamo. *Cubebæ, vel bacca Juniperi.*
 —Cassia Ligneæ. *Cinnamomum.*
 —Citri Succo. *Succus Limonum.*
 —Corticibus Citri. *Cortices Limonum.*
 —Costo. *Cortex Winteranus, Zedoaria,*
Carlina, & Helenium.

D

—Doronico. *Galanga, seu Zedoaria.*

F

—Folio Indico. *Nardus Indica, seu Macis.*

O

—Opobalsamo. *Balsamum de Tolù, seu Oleum*
Nucis moschatae.

P

—Phu. *Valeriana minor.*

R

—Rhapontico. *Rhabarbarum.*

T

—Turbith legitimo. *Jalappa.*

X

—Xilobalfamo. *Lignum Aloes usuale, seu Santalum citrinum.*

CAPUT V.

DE SIMPLICIBUS, SINE DISTINCTIONE SCRIPTIS.

Cum plura simplicia, à Medicis in suis schedulis absolūtè, & sine ulla restrictione præscribi non rarò contingat: dubium indè nascitur, debeat ne administrari Mas, an Foemina? Stirps, an semen? Folia, an flores hujus, aut alterius vegetabilis? Cùmque etiam Medicamenta valdè differant, non solum forma, sed colore, sapore, aliisque signis sensibilibus; tum etiam temperamento Regionum, ubi nascuntur: ut omnis tollatur dubitatio, cujuscumque simplicis famosiorem significationem hoc capite indicare operæpretium duximus: quapropter suademus, ut intelligatur.

A

Acetum. *Acetum Vini.*Agaricus. *Albus, & levis.*Aloe. *Soccotrina.*